



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

Quæst. I. De instantibus status & viæ Angelorum eiusque duratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)


recentioris huius est ad substantiam supernaturalem negandam; communis autem eam negatum est, quia impeccabilis, ac nusquam libertatem haberet ad peccandum. Postremum argumentum, quod poneret Deus determinationem logicam (quae prudenti estimatione, moraliterque tantumdem valet, ac physica) si Angelum in instanti creationis peccatum creasset contra peccati permissionem, in quavis sequenti duratione militat directius. Cum determinatio logica peccandi proxima, & completa donatione auxilij sufficientis constituitur, non autem sola substantiae peccata productione; quantum vero inter logicam, & physicam determinationem creaturae ad peccandum, non solum physice, sed morali prudentum Theologorum estimatione interfit, is solum nesciat, qui discrimen efficaciarum auxiliorum duplicis scholae Thomisticae, nempe Dominicae, & Iesuiticae prorsus ignoret.



DISPUTATIO IV.

De statu via Angelorum, & iis qua ipsi in eo statu acciderunt.

AUTORES aliquando Angelos omnes fuisse, atque in via statu, ut mortem, vitamque aeternam bene à se, maleve gestis mererentur Dogma fidei est, quod nequeat, nisi haereticè negari, sed quibus instantibus, naturae, & operationum Angelicarum, an temporis, & durationis physicae viae angelicae status confiteri, quandiuque duraverit, ac demum, quid in eo statu boni, malive Angeli egerint disputationi Theologicae subiacet. Deinde quidquid Angeli statum illum nondum egressi egerint, oportet distinctè examinare.



QVÆSTIO I.

De instantibus status & via Angelorum eiusque duratione.

DEFINIENDA tria in hac quaestione sunt. Primum de instantibus, quibus via Angelica constat, quidditate. Secundum quot instantibus confiteri, an pluribus, quam duobus. Tertium de tota duratione, qua consistit de facto is viae Angelicae status.

CERTAMEN I.

Instantia, quibus Angelicus viae statum constituit quaestionibus Theologicis decidendis utilia physicae durationis fuerit, esseque deinceps Theologicis disputationibus debent.

1. HAc de re disputandum non esset, nisi ex antiquioribus scholasticis aliqui morales quosdam, seu instantia viae Angelorum, quae proinde Theologica vocari solent, a physicae durationis instantibus diversis in scholas induxissent, ea vero singula instantibus, seu partibus physicae durationis, quandoque pluribus, quandoque paucioribus, neque omnium Angelorum viae aequalibus, sed brevioribus, in Angelis quibusdam, longioribus in Angelis aliis, pro cuiusque Theologi libito constaret; unde inter se se æquiuocè, caecoque mane, sine Andabatarum, ut dicitur, more, in quaestionibus pluribus ad viam Angelorum spectantibus decernerent, instantia ergo Theologica viae, ex actionibus, seu operationibus, siue instantaneis physice, siue operationibus, etiam die integro perseverantibus componunt communiter; ita, ut eorum quavis quandiu durat, nec adversa operatione destruitur, vna morula, vnumque instans Theologicum sit: adversa vero illam destruens, & succedens operatio, quandiu fuerit, & persistit morula alia, seu instans Theologicum viae Angelorum; intelligunt autem, ex iis instantibus viam Angelicam componentes, per diversas, & adversas operationes, non quascunque, & quomodocunque diversas, & adversas, sed eas solum, quibus Angeli, ad patriam seu beatitudinem (quo quasi in via positi tanquam ad terminum tendere possunt, ac debent) rectè progrediuntur; vel quibus contra à via aberrantes ad tartarum, & mortem aeternam viam capeunt. Viatorum quippe est rectè ad terminum incedere, vel à via rectè declinantes ab eo discedere, atque ad oppositum terminum pergere. Hinc constat actiones Angelorum indifferentes (si quæ sint) quibus nec ad patriam accederent, neque ab illa recederent instans seu morulam Theologicam status viae Angelicae iuxta hos Theologos non constituere.

2. Constat secundo, operationum meritiorum gloriae non solum, individuum, sed specificam etiam, vel genericam diversitatem, etsi eis, ad vitam aeternam Angeli pergant in eadem duratione siue instantanea siue diuisibili, quia adversæ non sunt, & quæ se mutuo destruant, sed quasi gradu vno ad vitam aeternam, seu terminum viae obtinendum incedunt, diversa instantia Theologica non constituere; eodemque pacto operationum pravarum, ac beatitudinis demeritoriarum, quibus ad aeternam iuxta damnationem, ab Angelis malis pluralitas eadem duratione, siue diuisibili, siue indivisibili amice coniungibilium, ac de facto coniunctarum instantium Theologicorum, seu morularum viae Angelicae apud praetatos Theologos pluralitatem non facit, ob eandem rationem: quia, etsi ex operationes diversae physice sint, tamen in ordine ad terminum, ad quem eis mali Angeli pergunt, nempe aeternam damnationem, & à quo recedunt, beatitudine scilicet aeterna adstantur, & continuantur: quare, neque ad quæ distinguuntur, ut plura absolute instantia Theologica horum Doctorum sensu nec dici absque inconsequentia queunt, quam eorum non pauci incurram. Est autem ratio assignata: quia instantia propria physica (quorum ad instar Theologica habentur)

metaphorica viæ Angelicæ ab his Doctoribus exco-
gitata sunt) successum vnius ad aliud, quo succeden-
te excludatur, & supponatur transisse essentialiter
importet; quare operationes, seu actus Angelici,
qui in ordine ad terminum ad quem ipsi tenditur,
sibi non aduersantur, & mutuo repugnant, sed ami-
ce federantur, & sibi coexistunt, instantia Theolo-
gica, & physicorum instantium temporis imitatus,
esse non possunt.

3. Inde Theologi alij instantia seu morulas
Theologicas Angelicæ viæ, voce statuum, in quibus
Angeli ab instanti creationis, vique ad bene male-
re authorum retributionem, ac præmij, penæve mer-
cedem iustam existerent, explicarunt, triplicemque
designant. Primum gratia, in qua creati à Deo sunt,
Secundum quo bonis operibus meritoris, ac præter-
itum præcepti ipsi impositi obseruatione boni Ange-
li in illa perseverarunt, & auxerunt; mali vero con-
tra demeritis suis, ac præcepti transgressione ab ea
excidere. Tertium: quo boni in gloria æterna col-
locati sunt: mali vero in infernum detrusi. Ex his
autem tribus statibus, tertius non ad viam, sed ad ter-
minum ad quem per illam Angeli perueniunt spe-
ciat, quare duobus solum statibus, siue instantibus
Theologicis sensu explicato, viæ Angelicæ, proprie
viæ, constituisse censenda est: altero scilicet creatio-
nis in gratia, altero meriti, aut demeriti, in quo ali-
qui Angelorum in ea persistenterunt, altero, quo alij ab
ea recesserunt. Dixi autem idem hos Doctores intel-
ligere nomine statuum viæ Angelicæ, atque alios
nomine instantium, ac morularum: cum vtrique per
ea, quæ in instanti creationis Angeli habuerunt
statum, seu instant primum Theologicum viæ in-
telligant. Secundum vero per actus meritorios, aut
demeritorios, quibus ad patriam progressi sunt, vel
ab ea deviarunt. Ceterum ex hac instantium, seu
statuum viæ Angelicæ intelligentia, & acceptione
cæco, & inconsequenter, ut dixi, eorum plerique (ne
dicam omnes) in rebus hisce discurrunt, ut genera-
libus notatis, ne cuiusque singularia prolixè, &
inutiliter referam, ac refellam iam ostendo.

4. In primis ex eis plures gratiam, & reliqua do-
na supernaturalia præter auxiliantem gratiam meri-
tis, & libera sua dispositione in instanti sua creatio-
nis Angelos obtinuisse docent (imo, & gratiam ip-
sam auxiliantem docuerunt non pauci, qui meriti
principium sub meritum ipsum cadere posse, ac de
facto venisse, censebant, ut supra retulimus, & cur-
sum consuevimus, ex dictis controu. de Incarnat. &
controu. de merito. Hi vero duo illa instantia, seu
status viæ primum instantis creationis, & secundum
meriti, aut demeriti viæ æternæ admittere non
possunt, quin instant, seu statum viæ Angelicæ di-
uersimode magna, & indigna æquiuocatione, vsur-
pent. Etenim in instanti creationis actiones merito-
rias gratia, ac subinde gloriæ horum sententia in
bonis Angelis fuisse, quibus ad gloriam, & patriam
gradiebantur, æque atque in instanti, & duratione
sequenti: ergo in eo instanti æque atque in sequen-
tibus fuit instant, seu status Theologicus, secundus,
quem ex actibus meritoris constituunt: ergo ita ac-
ceptis instantibus, & statibus, Theologicis viæ Ange-
licæ, non duo instantia, seu status viæ Angelicæ, sed
vnus, & idem diuisibili duratione continuatum, ac
duplex status, seu instant Theologicum in crea-
tionis diuisibili instanti physico inclusus asseri de-
bet; ni primum instantis creationis physice durati-
onis accipiatur, & ex physico hoc instanti, & alio
Theologicæ accepto in duratione sequente indigna
æquiuocatione instantium, seu statuum viæ Ange-
licæ binarium illud componant.

5. Secundo hi, Doctores omnes alios secum in
compositione viæ Angelicæ, per status seu instantia
hæc Theologica conuenientes, addentesque præ-
mij, vel penam in eodem instanti, quo alterutrum
meruerunt, bonis, ac malis Angelis obtigisse rei-
ciunt, quod vnum tantum instant, & statum viæ An-
gelicæ, etiam ut terminum claudat, admittant (id au-
tem, si instantia, & status viæ Angelicæ Theologico

sensu, quo vtrique volunt accipiatur, non inferunt,
cum meritum præmio, ac penam prius Theologica ac-
ceptione sua instantium, & statum naturæ & cau-
salitatis, ac subinde diuersum instantis ab effectu,
præmij, vel penæ proculdubio sit, & quod in eodem
instanti physice durationis cum effectu, seu instanti
illo, præmij, vel penæ coniungi per obiectantes, ipsos
non repugnat: ac subinde, nec vnico solum instanti
physice durationis vtrumque instant Theologicum
viæ Angelicæ, & termini coniungi (quidquid Vas-
quez d. 129. cum affectis reclamet) quorum funda-
menta, hoc instantium Theologicorum, viæ Ange-
licæ sensu, & acceptione vim non habent, ut osten-
dimus supra; tamen sensu, alio viæ eius per in-
stantia physice durationis diuersa constituta vim eo-
rum aliqua haberent, certe Vasquez ipse c. 11. §. 1.
sine fateretur recte, quod supra contra reliquos infe-
rebamus, nempe, in Angelis bonis vnicum tantum
instant viæ ob meritoriam actionem sequenti dura-
tione continuatam, ac perseverantem fuisse; in malis
vero, qui sequenti duratione ad instantis creationis à
gratia, & actione, meritoque viæ æternæ descenderunt,
duo esse instantia assignanda, quod tamen, & si in
ea instantium acceptione legitime, ut diximus, in-
feratur, æquiuocationibus, obnoxium est, cum bre-
uiorem viæ statum bonis, quam malis constitutum
sonet. Idem item Vasquez cap. 10. citato num. 43.
instantia hæc Theologica per operationes Angelicas
non interruptas designari ait: quia duratione intrin-
seca ipsarum operationum Angeli, diuisibili in se,
& à successu, diuisibili tempore independente,
tamen coexistente, & quæ maiori, vel minori tem-
pori, pro Angeli arbitrio, vel aliunde, tamen in-
trinsèque inuariata coexistat, tanquam instantibus,
quibus potest, æuum Angeli intrinsèque etiam indi-
uisibile, etsi extrinsèque temporis diuisibili coexis-
tens, ac mensurabile componitur, ut docuerat d. 55.
cap. 2. quare viæ Angelicæ intrinseca instantia per
operationes Angelicas possunt solummodo recenseri.
Verum doctrina hæc de diuisibili duratione in se,
ac tempore mensurabili, cum æui, tum operationis
Angelicæ, vel rei cuiusvis creatæ, mysterium mihi
semper fuit, nunquam vero credendum, ac nusquam
credibile, vti plura alia de naturalibus Angelorum
facultatibus actibus, & affectionibus vulgo asserta
de quibuslibet exacta discussionem, nec sola ex aliis
transcriptionem tom. 2. nostræ Philosophiæ, controu.
vitem.

6. Denique Soar. noster multus hac in re, vti in
reliquis, nec semel durationis siue instantium viæ
Angelicæ variam, incertam, nec satis coherentem
doctrinam, & regulas tradit lib. 5. c. 17. & 12. lib. 6.
cap. 12. & 13. & lib. 8. de malis Angelis. Aliquando
enim eam per nostri temporis instantia explicat:
aliquando per Angelorum actus, seu operationes:
aliquando vero actum vnum supremi Angeli, vnum
instant, pro omnibus actibus appellat, ut bene ob-
seruauit Arriaga d. 20. sect. 5. initio. Censeo ergo,
cum hoc Doctore de duratione, & instantibus, seu
morulis viæ Angelicæ (quidquid de diuisibilitate,
vel diuisibilitate durationis intrinsece Angelico-
rum actuum, & operationum, æuique Angelorum sit)
disputantes, non nisi de instantibus, seu morulis, &
partibus temporis, nostri, quibus viæ status Angelicus
coexistit, ac respondit disputare debere. Tum, quia,
quouis modo intrinseca instantia morula, & dura-
tio viæ constituunt instantibus morulis, seu par-
tibus temporis nostri pluribus, vel paucioribus, ut
mox videbimus cert. 2. coexistisse, eisque fuisse viæ
statum totum commenturatum certum apud omnes
est. Tum, quia nos, pro hoc statu, status & morula-
rum durationis viæ Angelicæ magnitudinem men-
surare, atque huculque peruenisse, nec vtriusque pro-
tractum definire aliter non possumus. Tum, quia
aliter singulis quæstionibus ad statum eius viæ atti-
nentibus in æquiuoco laboraretur, ut vidimus.
Tum denique, quia quæstiones pleræque ex præfatis
aliorum instantium, & morularum viæ Angelicæ
intel

intelligentiæ inanes, & ridiculæ sunt v.g. An in eodem via instanti meriti Angelorum poterint habere premium beatitudinis? quæ sane alio instantium Theologorum sensu eadem cum hac quaestio erit: an actio Angelî meritoria beatitudinis possit, cum suo effectu scilicet beatitudine identificari, ac proinde ad idem instans, & prius naturæ, quod supponit pertinere? quo nihil ineptius, & repugnantiùs vocari in questionem potest.

CERTAMEN II.

De duratione temporaria via Angelicæ instantibus moralis, & magnitudine uniuersim definitur.

1. Dico primo: status via Angelicæ instanti vnico creationis, quo primum Angelus absolute existere absolutus non fuit. Probationi solidæ suppono (quod omnes supponunt, nec potest vllus diffiteri, quia in statu viæ, & via, de quibus agimus, essentialiter clauditur) statum viæ esse statum bene, maleue merendi, ac viam ipsam esse meritum, vel demeritum, quibus, vel ad patriam, & beatitudinem, vel ad tartarum, quasi, quibusdam gressibus rationalis creatura in via statu posita ambulat & contendit. Probatur communis omnium Theologorum (vno, vel altero, ex vetustioribus excepto) conclusio. Primo, quia via Angelica in Daemonibus instanti illo primo creationis finita non fuit. Pater quia in primo illo instanti demeritum, & peccatum non habuerunt sed gratiam independentem prorsus à meritis peccato, non solum formaliter & consequenter, sed ex modo eam habendi antecedenter etiam repugnantem, & impossibilem: ac subinde instans seu duratio alia sequens viæ malorum Angelorum designata, dataque à Deo de facto fuit, in qua demeriti, peccataque possent, ac deficeret, vt de facto peccarent, ac defecerunt; ergo nec via Angelorum instanti illo primo creationis absoluta fuit. Probo consequentiam: quia in gratia etiam independentem prorsus à meritis creati Angelî boni reliqui sunt, ac proinde, cum impossibilem peccandi pro illo instanti creationis: atqui Angelî boni reliqui ita in gratia creati à Deo sunt, vt ab ea deficeret, & gloriam demereri peccato suo, ac infernum mereri in via absolute potuerint, æque, ac Dæmones, qui defecerunt, vt Augustinus sapie Patresque alij, atque Theologi constanter docent: ergo Angelorum omnium, etiam bonorum, via ultra primum instans creationis sequens aliud instans, seu duratio donata, ac designata à Deo fuit. Secundo probatur conclusio: quia æquum fuit, vt tempus aliquod Angelis daretur, vt constanter, & perseveranter in bono, in quo creati à Deo sunt, vel inconstantia experimentum caperetur: maxime, cum ex alterutro summæ felicitatis vel infelicitatis pondus tantum penderet. Tertia, & efficax probatio est, quam statim subiicio pro secunda conclusione negatiua adhuc de possibili à qua ad negatiuum de facto est ineuitabilis consequentia etiam logicis puerilis nota.

2. Dico secundo. Conclusio viæ Angelicæ intra vnicum instans, est absolute, adhuc diuinitus, impossibilis. Non habet tot Patronos, ac conclusio præcedens. Imo ex non adeo antiquis scholasticis nullum, vt ex eius probatione, & fundamento vnico clarebit, est tamen non paucorum, nec leuium Doctorum ex antiquis, & vi fors consequentiæ iure Granados, & Arriaga debenter consentire, vt mox ostendam. Probatur conclusio: status viæ rationalis creaturæ cuiusvis est status merendi, vel demerendi, & via ipsa actualis exercita operatio, eius honesta, & meritoria, vel demeritoria, & turpis, siue actuale

meritum, vel demeritum: ergo status viæ Angelicæ, & via Angelica ipsa debet esse status, qui eam durationem claudat, in qua meritum vel demeritum Angelorum absolute, & prorsus non repugnet, sed potius sit absolute possibile. Pater: quia alias esset status possibilis, viæ seu meriti, ac demeriti, repugnantis contradictione manifesta. Atqui status viæ Angelicæ, qui solum claudat vnicum instans creationis primum, quo via tota Angelica claudatur, non importat durationem, in qua meritum, vel demeritum, sit absolute possibile: ergo status viæ Angelicæ primo, & vnico instanti creationis inclusa, nec ad vltiorem durationem extensa est prorsus impossibilis. Subsumptum antecedens proximum probatur. Implicat prorsus meritum, ac demeritum operationis Angelicæ sine libertate absolute exercita: implicat autem libertas absolute exercita operationis in instanti vnico: ergo status viæ vnico instanti creationis conclusus, ac finitus non importat, durationem, in qua sit meritum, vel demeritum absolute possibile, sed prorsus repugnans, & impossibile: quare status viæ Angelicæ non potest, non ad vltiorem aliam durationem post instans primum creationis extendi. Minorem proximi syllogismi stabilitur, d. 3. eiusque veritati nescio, quo pacto nostri Granados tract. 13. d. 2. & Arriaga citat. lect. 5. subiect. 2. n. 18. §. Dico secundo, non annuerint, docent enim actum liberum, qua talem, sibi vendicare tempus, seu durationem diuisibilem, qua perferat, ac pelleret; si autem iuris, & potestatis arbitrij & creatæ libertatis est, posse absolute in vnico instanti plena deliberatione, libere operari: idem ius, & potestatem absolutam in instanti, & duratione, quous minutula immediate sequente elicentiam suæ libere operationis habebit: ac subinde poterit ab ea illico cessare, cum quo repugnat operationem liberam de se se per durationem aliquam sibi vendicare: solum ergo id verum habere potest ex impossibilitate plenæ deliberationis, & exercitiij creati liberi, absolute talis, à creatæ voluntate in vnico solum instanti, ex quo secundum conclusionem præsentem, & aliam de impossibilitate meriti Angelorum in instanti suæ creationis irrefragabiliter, contra hos etiam Doctores intulimus.

3. Dico tertio: status viæ Angelicæ instanti physico durationis, vel immediata parte proportionali sequente addita finitus, & adæquate conclusus, atque absolutus non fuit. Nolui alligari conclusionem sententiæ componentium continuum, siue permanentem, siue successiuum, ex partibus indiuisibilibus (tamen ei subscripserim, dummodo non finita cum Cæno, sed infinita cum Aristotele, vt æstimo, esse dicatur) vel sententiæ aduersæ illud componentium, ex indiuisibilibus, & partibus proportionalibus: cum, quia alias Theologica, hæc disputatio magis partem, ni tota, vt apud alios video, physica redderetur: tum quia eius veritas, & ratio ex alterutra continui compositione, non penderet. Sic censet Soar, noster citat. c. 12. Quirous citat. d. 72. sect. 1. n. 2. eque iam omnium, non admodum veterum Theologorum conclusio, eam probat Arriaga vbi proxime iuxta suum illud, & citati Granados principium de necessitate aliquandiu perdurandi, semel elicitæ libere operationis creatæ, ac subinde Angelici in instanti creationis, unde Angelos non habuisse libertatem ad peccandum, in sequente immediata duratione, siue diuisibile, siue indiuisibili certo inferitur: cum actus v. g. ille amoris Dei super omnia libere ab Angelo in creationis instanti elicitus per durationem sui productionis aliquam immediate sequentem independentem à nouo exercitio libertatis Angelî eiusdem ex primo illo creationis instanti deferat: quare quouique duratio illa immediata exacta fuerit nulla Angelî illius libertas abscondendi ab amore Dei super omnia, & peccandi esse absolute potuit. Atqui certum Patribus, & Theologis est Angelos omnes tam bonos, quam malos potuisse dum in statu viæ fuere absolute peccare: ergo Angelorum via, cuiusque status ultra durationem illam sequentem immediate, & instanti creationis adiun-

allunquam, & continuam totam, per quam amor ille Dei perduraturus de se necessario est porrectus, extentusque, quoad durationem, fuit, vltius aliquid durationis addit, certe, ni principium illud, cum elicientia absolute libera amoris Dei super omnia, ab Angelo habita in primo illo, & vnico instanti creationis pugnaret, vt vidimus n. 2. legitime præsentem conclusionem inferret, sed neque ex principio nostro (cui Arriaga, & Granados inconsequenter defecerunt) de impossibilitate absolute liberæ, & meritorie operationis Angelicæ, & creatæ cuiusvis probati possit hæc conclusio videbitur. Siquidem operatio Angeli præcepti in primo creationis instanti propofiti obseruatiua, vel transgressiua, immediate sequente instanti, vel duratione elicit non instantaneæ de liberationis, & exercitij liberatis, sed diuisibilis duratione (in qua plena deliberatio, atque libertatis exercitum absolute esse potest) haberetur. Sed de hoc conclusione 4. de possibili.

4. Hæc vero tertia (quæ de facto solum est) melius à citatis Doctoribus, atque ab aliis communiter probatur, eis, quæ in via, eiusque statu Angelis contingente, nec adeo breui duratione instantis primi creationis, & immediate sequentis instantis alterius vel proportionalis solum partis temporis, agi, atque euenire potuerunt, fuit enim primum illud Michaëlis, & Angelorum, cum Diabolo, & sequacibus memoratum Apocal. 12. in suas partes variis suasionibus, ac motibus alios trahere conantibus, non solum eos, qui circa præcepti transgressionem, vel obseruantiam nondum plene deliberauerant, sed qui ex plena etiam deliberatione obediuerant, vel violauerant præceptum, & peccauerant, his pervertere bonos, bonis vero malos à peccato auertere contendebat. Hoc autem totum breuicula adeo duratione, & quæ duorum indiuisibilium instantium, vel proportionalis præcisè pars temporis est, fieri non potuit. Etenim initio liberationis nullius suasionem, à Deo solo cogitationes, ad vtrumque, & motiua propofita sunt, atque, vt diximus, non instantaneæ, sed necessario duratione aliqua diuisibili habita, habendaque, vt absoluta plena deliberatio transgressionis malorum, & obedientiæ, & obseruationis bonorum esset, quin ad primam aliorum deliberationem, vel bonam, vel malam, aliorum deliberatio vltatenus influxerit, sed solum comitanter, & simul tempore quique suam deliberationem habuerit: simul autem dico de Angelis, non omnibus, sed iis, qui æque perfectæ naturæ, tam in bonis, quam in malis fuerint, cæteris ad deliberandum requisitis entitatis, ac physice paribus. Etenim perfectioris naturæ Angelos tam ex parte intellectus (saltem, cum ex cogitationibus, non intuitibus, sed abstractiuis consultatio, & deliberatio, vt in re præsentem habetur) quam ex parte voluntatis, expeditiores in deliberando, ac cæteris ad id requisitis paribus promptius deliberaturos ostendimus: supra cætera vero ad deliberandum requisita Angelis perfectioris naturæ paria fuisse, & quam aliis naturæ imperfectioris, perfectiora certum est: cum id ex rei natura proveniat, iuxta quam de facto prouisum à Deo cuique Angelorum fuisse tenendum est: maxime, cum gratiam & dona supernaturalia quæ Angelis naturæ iure nullatenus, debebantur exactiui tamen plura, & maiora, minoraue, & pauciora, iuxta naturæ cuiusque perfectionem maiorem, vel minorem Angelis donata in instanti creationis fuisse cum communiori Theologorum sententia docuerimus.

5. Cum ergo prima deliberatio, tam in bonum, quam in malum perfectissimum in natura Angelorum durationem diuisibilem requisierit in qua tota deliberationi propriæ Angeli intenti fuerit, quo eorum aliquis alterius deliberationem suasionibus sollicitauerit, vel attenderit, inferret: vltra durationem aliquorum instantium (nec duorum, vel trium solum, partis, vt ex conclusione 4. patet, partisve proportionalis instanti creationis immediate adiunctæ, & continuæ) insumptam in propria, cuiusque deliberatione circa præcepti obseruationem, vel

transgressionem ab Angelis chori, & gradus hierarchici, etiam supremi (ad quem Michaël, & Lucifer pertinebant) aliam durationem viæ Angelorum addendam, in qua obediens, & transgressores gradus hierarchici eiusdem motibus meditati: propofitis, suasionibusque in suas quique partes alios trahere contenderent, atque aduersas reicerent, & confutarent: id quod, nec instanti vnico, nec admodum paucis, nec breuicula alia duratione fieri potest. Accedit: quod prælium non fuit solum inter Michaëlem, & Luciferum, & Angelos eiusdem gradus hierarchici cum ipsis, sed inter alterutrum affectus & sequaces graduum etiam inferiorum, quibus, & ad deliberandum, & sequendum ex iis alterutrum, duratione maiore, pro cuiusque inferioritate opus fuit. Tum etiam, vt aliis suaderent duratio vltior opus vnicuique fuit, & iis, quibus suadebant, vt denovo deliberarent, & à præhabita deliberatione abfisterent, & oppositum suadentibus acquiescerent, vel in præhabita perseverarent: ex quo plane deducitur, iis omnibus prudenti iudicio perpenfis, non qualicumque parte proportionali durationis, nec qualibuscumque, sed duratione determinata, & aliquota instanti creationis adiuncta viam Angelorum constitisse. Porro non solus Lucifer, & Michaël, ipsique coequalis in naturæ perfectione præfaco modo pugnantes, sed alios alterutrum sequaces (quorum plures inferioris naturæ fuerit) atque alios ad suas partes trahere donati sunt, quousque demum absolute viæ tempore, & statu, qui in malo persisterunt, & ex eo sunt cum suo Duce deiectioni.

6. Dico quarto. Nec de potentia absoluta viæ Angelica potuit duobus tribuere, aut paulo pluribus durationis instantibus, aut minima (si est) parte proportionali finiri. Probatur facile ex iacto supra & proxime repetito principio: quia in Angelis, qui de facto sunt, viginti septem Angelorum species perfectiores, ac perfectiores ab inferioribus Angelis ad supremos inueniuntur: qui pro speciei suæ perfectione maiore expeditioris, promptiorisque deliberationis sunt, aliis specierum inferiorum, ac proinde, qui minore duratione, quam inferiores possunt deliberare; nemo autem, etiam speciei supremæ Angelicæ absolute possibilis, potest instanti vnico, & creationis deliberare, sed diuisibilem durationem (saltem duorum in tantum, vel minime partis proportionalis) ad plenam deliberationem essentia sua requirit indispensabiliter. vt vidimus: ergo viginti sex species inferiorum amplius, & amplius durationis essentialiter, & indispensabiliter requirunt, vt plene deliberent. Cum ergo viæ duratio, & terminus cunctis Angelis idem, & communis præstiturus à Deo sit (vt cert. 3. n. 2. concl. 5. videbimus) oportuit tot instantibus, seu maioribus partibus proportionalibus durationis viam Angelicam constantem præstitutam fuisse, quot infimæ hierarchiæ, & speciei Angeli ad plenam deliberandum, præ naturæ suæ imperfectione maiore opus habebant, nimirum viginti sex partibus, seu instantibus extensiorum. Vigetur: quia inter quamvis speciem, & proximam aliam, siue inferiorem, siue superiorem quæ de facto sunt, infinitæ alie sunt possibiles, inferiores, & superiores, quibus maior, vel minor duratio, ad plene deliberandum est opus. Vigetur secundo: quia nec species suprema, Angelorum qui sunt, est suprema ex speciebus possibilibus, sed infinitas superiores possibiles habet, quare, & ipsa infinitis instantibus, seu partibus proportionalibus pluribus eget, vt plene deliberet, quam suprema species possibilis, quare infima ex creatis infinitis infinitis, egebit: quare determinata & aliquota duratio viæ necessaria erit.

rationis absoluto, & perfecto vñ die sexto conditis vñum saltem ante tentationem, & eorum peccatum, opponens illud Genes. 1. *finis, vidit Deus curia, que fecerat, & erat valde bona*, que de die sexto, in qua conditi homines sunt dicta fuerit: atqui aliquid, ex factis à Deo Angelis erant: ergo eo die, non mali, sed boni, & valde boni omnes Angeli erant: ac subinde, nec dum vñus peruersus, nec eorum via, in qua peccarunt, finita. Plus probat obiectio, quam nunc disputatur, & contenditur, si quid probat. Nempe neminem Angelorum ante elapsum diem sextum peccasse, quod & supradictis, & Patribus, & rationi, non congruit. Sed nihil ad præsens adhuc probat: Nam de iis, quæ à Deo sex diebus facta textus expresserunt, & narrauerat nempe de corporeis, ea verba expressæ sunt, non de incorporeis, & pure spiritualibus, de quorum creatione toto hoc capite nihil; tamen ibi, & capite secundo, ea dicat, vide Angelorum creatio legitime à Patribus, & Theologis inferatur, vt vidimus. Secundo: sextus ille dies diuisibilis, & determinatis partibus aliquoties constans, multis, & magnis (scilicet vespere, & mane, in quibus horæ viginti quatuor, quadrantes nonaginta sex continentur, minuta vero innumera) & si de factis omnibus, etiam Angelis, is locus intelligatur, vidisse etiam illos bonos, in sexto illo die, sicut postea aliqui peccarint horis, vel hora postrema, & facti fuerint mali, viamque egressi, verum haberet, Certum igitur sic viam Angelorum sextum creationis rerum diem non transisse.

5. Quo vero intra sex illos dies tempore fuerit determinate finita: an sexto illo die, quinto &c. vel primo, & an diei quo finita via Angelica fuit, vespere, vel mane, aut qua demum eius hora, minuto, aut instanti, pure diuinationis negotium videtur: de quo facilius aliorum sentia referam, quam propriam sententiam dicam. Gregor. Nissen. orat. Cathechet. capite sexto, Angelum hominis ad imaginem, & similitudinem Dei conditi, inuidia peccasse sensit: quare die sexto, inuidia adhuc stetit cum vltimo eius Dei, & opus Dei postremum homo fuerit. Sed, etsi hominis inuidia Angeli peccarint, de quo questione vltima, cum futurum, & creandum, ad similitudinem Dei absolute antequam prauitatis, factis esset, vt ipsi inuideret: quare, eo Angelorum peccato admisso, multo ante sextum diem potuit eorum via finiri. Cyprian. de ieiunio, & tentationibus Christi, Chrysost. Homil. 22. in Genes. Auth. de mirabilibus sacre Scripture capite secundo, apud Aug. tomo tertio, Isidor. 1. de sum. bon. capite duodecimo, sent. 7. Beda tom. 8. lib. questionum, questione nona ante sextum diem, quo conditus homo est peccasse, ac via finita cecidisse aiunt, quod commune Patribus, & Scholasticis. Caterum Isidorus, & alij, id non satis solide probant ex illo Ioan. 8. *ille homicida erat ab initio*, & in veritate non stetit, ex quo oppositum potius probatur. Non quidem, quia in veritate non stetit, de deceptione Eue per serpentem verbis illis, *eritis sicut Di*. Quæ post conditos homines peracta à diabolo fuit intelligi debeat (vt censet Vaf. citat. d. 229. contra quem offendimus supra veritatis nomine gratiam intelligi) sed quia illud homicida erat Angelorum peccatum, ob quod demones effecti sunt non fuit, vt bene Valquez ibi, capite vndecimo, verius fin. sed neque esse potuit homicidium antequam conditi homines sexta die essent, vt eo textu contenditur probari. Dicitur ergo homicida, quia ad primum mundi homicidium, Abelis scilicet, fratrem Cain induxit iam diabolus peccato proprio, effectus: dicitur autem ab initio, non prout initium instans primum creationis rerum, aut Angeli significat, sed primam mundi tandu, vsque permanentis partem vulgari initij mundi acceptione, quæ non solum durationis partes aliquoties plures continet, sed annos. Sed facilius, planiusque intelligitur, si homicidium, non acta, sed aptitudine, germanius ad eum textum intelligatur pro mortalitate hominum in mundum inducta per peccatum, quod primis hominibus diabolus suasse, iuxta id, Sap. 2. *inuidia diaboli*.

Christoph. de Ortega de Deo Vno, Tomus II.

li mors introiit in orbem terrarum, quod sane post sextum diem fuit. Sed quidquid de hac probatione sit, tamen sententia hæc diem, & determinatum intrinsecce tempus via Angelicæ non designat, quod inquirimus, sed tempus, seu terminum solum eius extrinsecum, quo scilicet Angeli iam extra viam erant.

6. Glossa in id Genes. 1. *Disiit Deus lucem à tenebris* censet: primo creationis mundi die malos Angelos tenebricosos peccasse, ac eos deturbatos, à bonis, & sanctitatis splendore perpetuo illustribus, ac splendentes, sicut lucem à tenebris æternam seuinctos, ac diuisos: quare vsque ad tempus diuisionis lucis à tenebris Angelorum vtrorumque viam durasse. Bernard. sermone primo, de aduentu. Diabolum in icu oculi verbis illis *eritis sicut Di*, & in momento cecidisse docuit, ac proinde eius viam fuisse finitam, Actius eam terminatam asseruit Isidorus. 1. de summo bono, capite duodecimo, sententia septima citata illis verbis. *Nam mox, vt factus est in superbiam erupit, & statim, vt factus est cecidit*, nisi illud mox, & statim morali, & vulgari, quam physica & stricta acceptione Isidorus vsurpauerit: sic enim idem atque Bernardus intellexit. Porro Nif. sentis. 1. philosophiæ, capite tertio, seu potius Nemessius de natura hominis, capite primo, apud romum quintum Biblio. Patrum, part. 3. & Damascen. 2. de fide. capite quarto, assererunt, idem Angelis lapsum, seu peccatum fuisse, atque mors hominibus est. Post lapsum enim praclusa iam est (inquit Damascen.) illis omnis respiciendi facultas; quemadmodum, & hominibus, postquam ex hac vita migraverunt. Quod ipsum æquivalentibus verbis expressit. Sed, cum non dicant, quandam mali Angeli ante suum lapsum steterint, nihil ibi de via Angelicæ duratione definiunt; solumque poenitentia locum datum eis in via non fuisse docent, sed statim immediate post lapsum, sicut, & hominibus post mortem, siue vbi primum mortui absolute, & in facto esse, sunt, supplicium iniunctum. Hoc etiam solum voluit Elias Cretens. orat. 3. Nazienzen. contra Iulian. ad ea verba: *quo circa cum potentia &c.* scribens. *Post lapsum nullus est Angelis poenitentia locus quemadmodum, nec hominibus post mortem.* Quare hæc testimonia, non ad præsentem, sed ad sequentem questionem spectant. Sicut & aliud Fulgentij capite tertio de fide ad Petrum: *Aquitatis suprema iudicio initium damnationis in ipsa auersione voluntatis*; pars Angelorum à Deo aucta, inuenit: *vt non aliud ei esset incipere eam pariter, quam illius beatifici boni dilectione destitui.* Hoc præter negatam Angelis poenitentia locum, aliam difficultatem tangit examinandam, d. r. questione prima de tempore, seu instanti quo demonum poena cepit: an in ipso, quo lapsi in peccatum fuerit: nam lapsum ipsum, vt primo fuit eius supplicium, & poenam fuisse, vt verba sonant, omnino repugnat, de quo ibidem. Sed quidquid de hoc sit: cum nihil ibi de duratione, qua post instantis creationis Angeli lapsi fuerint, dicatur testimonium hoc (vt de aliis diximus) de re præsentem non est.

7. Concludo ergo in re certa de assignatione determinate intrinsecce durationis, via Angelicæ, ultra quam progressa non fuerit, breuem quidem fuisse in quo æque, atque in incertitudine terminationis intrinsecce illius, scholastici omnes conveniunt. Rigidè vero loquendo non fuisse brevissimam, & qua minor à nobis designari, explicare non possit, & duratione icus oculi necessitate, vt Bernardi verba sonant, respondeat. Etsi enim Angelis perfectissimis hierarchiæ, chorique, & gradus Hierarchici supremi, ea duratione plene de re tanta deliberandum, & paululum etiam minor, satis esset, ac subinde eorum via (quæ absque sufficiente ad plene deliberandum duratione, nequit absolui) sufficeret; at peccatorum innumerorum Angelorum Hierarchiarum, chororumque graduumque inferiorum plenæ deliberationi, ac subinde via id solum temporis satis non esset. Cum autem superiorum inferiorumque Angelorum via æque, eiusdemque durationis physice fuerit, vt supra diximus, atque omnes scholastici docent, (etsi de morali via, & in instantibus Theologicæ acceptis aliter loquantur) id temporis via etiam superiorum Angelorum Hierarchiarum & chori supremi datum esse, quantum plene inferiorum

morum

morum Angelorum infima hierarchia deliberationis sufficeret, tenendum est. His autem ictus oculi, ad plene deliberandum, & viæ proinde absolutionem non esset sufficiens. Accedit viæ, & deliberationis plene tempus non adeo ante curatum Angelis à Deo credi prudenter posse, ut nil amplius, eo, siæ quo deliberare absoluta non possent, concessum ad deliberandum de præceptis tam grauibz cum rigidis, avarusque temporis exactor, & deliberationis nostræ executor Deus nunquam fuerit, ut nec diuersioni, otio, respiratiuæ alicui locum faciat, nec tempus relinquat, sed deliberare vigeat anhelio denique. Cum, ultra tempus necessarium non solum physica, sed morali prudentique, ac non nimis dura, & exactrice prouidentia deliberationi primæ Angelorum de re ipsius præcepta, prælium deinceps inter primo obferantes, & primo transgressores Angelos fuerit, successusque bonis, malisque suasionibus inuicem habitum fuerit (ut vidimus, & questione quarta, iterum minutius videbimus) deliberationibus aliis notis Angelorum, ut in alterutra prima persistere, tempus amplius viæ Angelicæ prouisum fuit, duratio prolixior. Certe his omnibus inspectis glossæ sententiæ memorate, ex allegorica eius textus interpretatione, & diuinitus lucem à tenebrosis in re à Deo incertæ decisionis libentius adharebo; tametsi subdubius, & hærens adhuc: cum neque pro ea sententiæ finium aliquid fundamentum inueniam, ubi pedem figam, nec nisi suspensus, & hæsitanti similis gradiar.



QVÆSTIO II.

De loco penitentia Angelorum in statu viæ.

Duplex de loco penitentia Angelorum in via est, apud Theologos difficultas. Prima de possibili: an scilicet is locus penitentia dari in via, Angelis absolute poruerit: secunda, an eis datus de facto fuerit. Prima ex naturæ, & voluntatis Angelicæ flexibilitate, vel inflexibilitate ab eo affectu, quam semel concipit, omnino pendet: cum penitentia conceptum iam affectum de quo habenda est essentialiter supponat: quare: ni à semel conceptu flexibilis absolute Angelis sit, eius de affectu prauo penitentia ipsi absolute erit impossibilis. Ne vero in hac difficultate æquiuoce laberetur, & ubi nulla est, questionem moueamus; de absolute impossibilitate penitentia, & inflexibilitate naturæ, & voluntatis Angelicæ à semel debito deliberato affectu inquirimus. Nam de morali quadam inflexibilitate, seu difficultate, à prima deliberatione abstinendi, quam sapientiores etiam, homines habent qui ægius à dictaminis, & proposito primo abstant, quia perfectiori vtriusque patris notitia, & cognitione de rebus deliberant, quam minus sapientes, eoque difficilius, ac difficilius, quo sapientiores, & sapientiores sunt, dubium non est. Quin Angelis ea moralis inflexibilitas, atque à semel conceptu, ex plena deliberatione proposito abscedendi impossibilitas adsit: cum infima hierarchia, & chori Angeli hominibus sapientissimis (quorum eis custodia à Deo mandatur) intelligentia, & sapientia longe præstent. Accedit malorum Angelorum, qui lapsi fuerant in peccatum, ac subinde solos penitere poterat, superbia, quæ, vel ex qua peccauerant factos esse in malo proposito obfirmatores, immobilioresque ab illo: superbis enim valde difficilior est dictaminis, & propositi primi tractatio, ut experientia quotidiana docemur. Secunda difficultas de loco penitentia Angelorum in via de facto datis supposita etiam eorum flexibilitate à proposito primo, & semel admisso peccato, quam statuimus scorsim, quia est ex aliis principiis diuina.

CERTAMEN I.

Absolute Angelorum in via inflexibilitatis, Patroni fundamenta dissecta.

Absolute physicam Angelorum à semel habito proposito inflexibilitatem, ac recedendi impotentiam, ac subinde, si peccaminosum illud fuit, locum penitentia absolute, in via etiam impossibilem multis scholastici docuerunt; non tamen, qui vulgo referuntur, omnes. Sic docuit Alex. 3. p. q. 1. m. 1. Capetol. in 2. d. 7. q. 1. a. 1. concl. 2. & a. 8. ad argumenta Scoti tertio loco adducta contra eam conclusionem, Ferrar. 4. contra gent. c. 9. §. 8. Aduertendum secundum Galetanum. p. q. 64. a. 2. quem Dominici Thomista recentiores sectantur, & nos Granados tract. 1. q. 1. scilicet 2. eorum, ac præcipue S. Thomæ conclusionem de potentia solum ordinata, atque naturæ Angelicæ accommodata intelligi debere, non autem de potentia absoluta Dei, quæ à proposito primo Angelum nullis in sua omnipotentia contentis auxiliis gratia suæ possit auertere, sed solum id efficere non possit, si se naturæ, ipsorumque immobili de sese & natura sua ut à proposito ex plena deliberatione semel habito accommodet: quare ut auxilium efficaciter gratia suæ lapsos deinceps priuaret, ut à malo conceptu conuerterentur congruum Angelorum naturæ iuxta imo, & cogitationibus, quibus à proposito, quousque hiterent, quo etiam patet S. Thomæ conclusionem & rationem benigne interpretari fuerat Marfilus in 2. quest. 5. articulo quinto, utque petitionem principii in e ratione ita intellecta recognoscit: cum designamus gratia Angelis ad penitentiam connaturalitatem ratio reddatur, quod adhærent naturæ suæ immobiliter affectui, & obiecto, cui semel deliberate adhererunt: quæ eorum conclusio est, & cuius ratio queritur. Sed hæc ita videntur reddere ex S. Thomæ, præfati Doctores: quia Angelus omnia ea singula cognoscit simpliciter terminorum apprehensione, absque discursu rati, non secus, ac nos prima, ac per se nota principia cognoscimus: quare, sicut nos in horum assensu immobiles naturæ nostræ sumus, ita, & Angelus ab assensu casualis obiecti immobilis naturæ suæ est. Cum autem facultas appetitiua, seu voluntas proportionem debet habere cum facultate intellectiua, cuiusque operatione à qua mouetur, sicut mobile omne cum suo motore eam debet proportionem in operando habere, sit: ut voluntas Angelica obiecto, cui semel deliberate adheret, fiat eas que erga ipsum affectui, immobilis adhæreat, sicut eis & intellectus veritati seu obiecto, cui semel adheret, & assensui, quo ei adheret semel. Hanc rationem tradidisse videtur S. Thomas citato loco, ex prima parte, eam vero explicatius confirmare, & proportionem in operando seruandam inter voluntatem Angelicam cum suo motore Angelico intellectu, quoad assensum, & affectum semel habiti immobilitatem probare videtur citato capite 95. ex lib. 4. contra gent. quia finis respectu motionis voluntatis ita se habet, atque prima principia respectu intellectus: quare sicut error in principia respectu intellectus, quæ sunt error in principia respectu voluntatis, utpote solum ex praua dispositione proueniens, nequit emendari, nisi ea dispositione ex parte intellectus sublata: ita praua dispositione ex parte intellectus vitium si error ex parte voluntatis, naturaliter vitium si nem appetentis, & qui proinde, nisi ex collatione ultimi finis in aliquo, quod reuera vitium non est, nequit provenire; nec nisi ex praua aliqua dispositione voluntatis, & appetentis (iuxta illud Aristotelis axioma tertio Ethicorum, capite quarto, quod nullus quisque est, nisi ex praua dispositione ei finis videatur) ideo nisi ea praua dispositione ex parte voluntatis, & appetentis sublata, nequit